

Regno Chio anno.

ΣΥΝ ΘΕΩ

47016

QVATERNIO
QVÆSTIONUM
PHILOSOPHICARUM,

Consensu & approbatione
Ampliss: FAC. PHILOS. in Finlandiæ
Acad. quæ ad Auram est, Regiæ
& illustri,

SUB PRÆSIDIO
Pl. Reverendi & Excellentissimi

M. PETRI LAURBECCHII,
Poësiæ Professoris Ordinarii, Præ-
ceptoris & Promotoris submissè
reverenterq; colendi,

LOCO SPECIMINIS PUBLICI
Eruditorum censura submissus

A

GEORGIO G. RUIH / TAVAST.
Ad diem 4. Junij, Anno 1687.

A B O Æ,

Impr. apud JOH. WALLIUM, A. T.

Pl. Reverendo & Praclarissimo Domino,
DN. MAG. PETRO CARSTENIO,
Diecepsios Wiburgensis Archipræposito
amplissimo, S. S. Theologiæ ibidem in Gy-
mnasio Lectori primario, patrono & pro-
motori humiliter colendo.

Nec non Plurimum Reverendis & Clarissimis
Dominis:

Mag. HENRICO WINTERO,
S: S: Theol. in Gymnasio Wiburgensi Le-
ctori percelebri, Conistorii ejusdem Assessorii
gravissimo, promot. reverenter suspiciendo.

Mag. GUSTAVO BERNERO
Mathesios in supra dicto Gymnasio Lecto-
ri laudatissimo, Conistorii Assessorii æquis-
simo, pomotori devotè & officiosè colendo.

Mag. JOSEPHO MATHESIO,
Pastori Ecclesiæ Dei, quæ in Calajoffi est, ut
fidelissimo ita meritissimo, fautori & bene-
factori propensissimo.

Mag. ARVIDO ALOPOE O,
In Gymnasio Wiburgensi Lectori Extra-
ordinario laudatissimo, ut antea in tenerâ
ætate præceptorii fidelissimo, ita jam fau-
tori certissimo.

Viro quoque Spectabili

HENRICO SNABB, Mercatori in vet.
Carleby accuratiss. Fautori honorando.

SALUTEM, FELICITATEM, ANNOS!
Quod vobis, Patrone, Promotores & Fau-
tores colendi, breves tantum pagellas
exhibuerim conspiciendas, in causa fu-
it fors mea iniquior, mediorem scilicet defectus,
qui prolixior a volumina cōscribere vetuit, quin
& hic, Præceptores & Examinatores nostri gra-
vissimi, non tam pagellarum numerum, quàm
promittitudinem defendendi loco speciminis re-
quirūt. Non ergo æsti metis, O Promotores, Fau-
tores, ex penuriâ & paucitate hæc pagellarum,
animi mei affectum, qui ardentissimo desiderio
prolixa servitia & officia vobis offerre cupit; sed
potius hinc certò statuatis, desiderium ad officia
vobis præstandum, superasse instam meam
verecundiam, qua iam diutius mihi oblecta-
batur, nè nominibus Vestris Ampl. & Spect. hoc
minus amplum Exerctium inscriberem & dedi-
carem. Hæc autem meâ fors an importunitate, si
quid in dignitatem Vest. amplam peccavi, ve-
strum est id mihi ignoscere, meq; nihilo secius,
vobis ad obsequia promissimū, patrocinio, pro-
motione & benignitate fovere, qui sum mancoꝝ.
Ampliss: Pl. Reverend. & Spect.
Vest. dignitarum


Obsequiis officiosissimus.

GEORGIUS NIBL.

Pia per suspiria discursus Præambulum.

Sancte Jesu ex Patre natus,
Spira mihi tuos flatus!
Valeat ut mea mens tenella
Sic profari ex hæcce tellâ,
Veritatem Cœli puram
Et doctrinam profuturam;
Ne per ista in decepturam
Labar viam vel obscuram.
Istam laudem mihi nego,
Tibi, Jesu, vivens ego;
Tuus sermo verax esto,
Vanam lingvam sed ego gesto.
Mens, Ratio, quæ viget mea
Cæcruit malorum rea;
Illam proinde tu informa,
Jesu, existas ipsi norma
Veritatis & sôphiæ
Non fucatæ perquè piæ;
Solutus quòd es totus verus,
Quin Musarum Solus berus!

QVÆST. I.



QVÆSTIO I.

An Distinctio Conceptus in Objectivum, Formalem & Universalem sit realis & univoca, ceu generis in sibi subjectas Species? An verò nominalis tantum & æquivoca? Neg. prius. A. post.

Communitè quidè̄m solet dividi *Conceptus*, in *Objectivum* (qui vel in *statu fundamentalis*, vel *ideali*) in *formalem* & *universalem*; verum enim verò, cum *Conceptus* in *statu fundamentalis* sit, non *Conceptus*, sed *res concipienda*; in *statu Ideali*, non prædicetur de *Conceptu Synonymicè*, sed solum *Paronymicè*, adeoq; non *Conceptus*, sed *res Concepta*, quæ nondum ut *species intelligibilis* & *scibilis* menti repræsentatur; *Universalis* non tam *Conceptus* quàm *consideratio* & *resolutio Conceptus* in & per sua inferiora; hinc etiam meritò tanquàm qui æquivocè & nominalitèr tantum de formali ratione *Conceptus* participant, rejiciuntur, & soli *Conceptui Formali*, nomen *Conceptus* verè & realitèr affi-

A

gna-

gnatur. Idq; ulterius rationibus probatur firmissimis à *definitione Conceptus* petitis, quam nobis Gnostologi talem tradunt, quod sit *species ab intellectu formata, representativa scibilis in mente, ut in se est, distinctè cognoscendi*, unde sic concludo,

(a) *ὁ ἀρχαῖος* s. *Positive*. *Cuicumq; Competit Definitio Conceptus, eidem etiam ipsam nomen competere necesse est. Atqui Conceptui Formali. Sc. E.*

Major Syllogismi est clara & fundatur in Maximâ Logicorum. Minor sic declarari potest: *species*, quæ loco *Conceptus generici* in datâ definitione adhibetur, est 1. *Essentiale* conceptui formali, prædicatur enim de eo proximè & immediatè. 2. Est *latius*, quippe dantur etiam plures species, sensiles nim. & Phantastica. Præterea, Conceptus formalis est species ab *Intellectu (agente sc.)* formata, cum solus intellectus sciat *præcisivè* & *cognitionis* ergo abstrahere; & in mente h. e. *Intellectu-paciente*, ut subiecto quo, proximo & informationis refi-

residens, ibi *representativa scibilis, ut in se est*. Quia res extra intellectum existens, secundum se non ingreditur eum, necesse est ergò, ut exprimat & repræsentetur ibi per speciem quandam cum aliàs nulla fieret *intellectio*, quæ *necessario* requirit, ut *intellectus cum intelligibili unatur*, atq; sic intelligendo omnia fiat, cum *nulla operatio realis in prorsus distans esse* potest.

(β) *ὁ ἀρχαῖος* s. *Remotivè*; *Cui non competit definitio, eidem nec definitum; sed conceptui Objectivo & univ. non competit definitio Conceptus ut sic. E.*

Minor prob.: Quia Conceptus Obj. non est. 1. *Species* sed tantum exemplar speciei; jam vero exemplar & imago sive species sibi invicem opponuntur, atque ut signum & signatum differunt. Nec 2. *representat scibile*, quoniam adhuc involvit *rei materiale* & conditiones ejus individuantes; *Materiale* autem non est ratio propria sè *scibilis*, sed & *formale*; *formale* namque demum fundamentum ac

immediatum Constitutum scibilitatis est. nec 3. in mente; quia est extra eandem & hæret adhuc dum in sensibus & Phantasiâ. Pari ratione Conceptus universalis non (1) Species sed resolutio & divisio speciei in partes; nec (2) tam representat scibile, quam dividit, limitat, contrahit, & cum inferioribus confert &c. Ex quibus vicissim tale fluit ratiocinium: Quicquid præcedit aliud, vel sequitur, est diversum ab eo, quod præcedit & sequitur; sed Conceptus Obj. præcedit, & Univ. sequitur conceptum ut sic. E. His accedit quod Conceptus rei formalis genuinam rationem indicet, & abstractio sit ejusdem inquisitio. Ubi autem abstractio inquirendo produxit Conceptum ostendentem rationem formalem rei, ibi jam gradum, sistit, nec ulterius progreditur; Hinc rursus aliud Argumentum: Quicquid est effectus abstractionis, & in quo ea ultimato terminatur, id solum est verus Conceptus; sed Conceptus Formalis est effectus &c. E.

QVÆST.

An de Conceptu Formali possit in intellectu formari alius Conceptus formalis? Aff.

Ovanti sit momenti regulas Philosophicas claris & convenientibus illustrare exemplis, vel circa præsens hoc quæsitum res ipsa loquitur. Confulti siquidem hac de re Autores, rem difficilem magis intricatam reddiderunt. Dixit quidam: omnis Conceptus formalis est realis, Ergo potest alium gignere; Sed si reponatur: proba consequentiam & rem porro illustra exemplis: Ille ergo exemplum conetur afferre, quod scilicet hic vel iste homo, v. g. Johannes, potest sibi speciem intelligibilem intelligendam objicere quæ etiam hæret in aliorum intellectu, de quâ tamen mens unam sibi ideam format. Verum hoc ipsum exemplum sensum quæstionis videtur magis obscurare. Nam (a) non potest dari aliqua Vox, quæ sit ejusmodi conceptus signum, juxta illud voces sunt signa conceptuum, Conceptus autem signa rerum Nec (b) constat de Fine, cujus gratia

gratia ejusmodi Conceptus productio fiat; siquidem omnis Conceptus finis est. quod *fit medium apprehensivum Cognoscibilis*, seu, *ut inserviat cognitioni humane*; jam vero in Conceptu, hâc ratione formato, non fit cognitio rei diversa ab ea, quæ etiam in conceptu habebatur priori, E. nec est diversus Conceptus, sed planè identicus. Et (γ) qualis, quæso? conceptus exinde oriretur, si verb. grat. ex conceptu hominis *specificè identico*, prout est in Johannis & Petri mente, formaretur alius, certe nullus, nisi planè idem, ac erat antea seorsim in Johannis & Petri mente. At contra, quia (1) licet *in defectu vocum ov-μάρωσις*; etiam (2) *Alia est cognitio conceptus sive directæ, sive reflexæ*, ut est *in se*; *Alia* verò, prout respectum habet ad rem conceptam; (3) Differunt, *Conceptus rei*, & *Conceptus de tali Conceptu*, objectivè semper, aliquando etiam subjectivè: ut propterea, & diversus hic Cōceptus, & diversa cognitio occurrat.

Aliàs, triplici ratione potissimum, unum

unum Conceptum ab alio formari irrefragabiliter existimo: (1) *Quando ex pluribus conceptibus, completis quidem & adæquatis, inferioribus tamen fit unus superior*. v. g. Cum homo & brutum gignunt ex se conceptum animalis, animal & vegetabile, conceptum animati; & sic deinceps. Sed dicis (α) hominem & brutum *ut sic*, & *quatenus rem illam*, quæ est homo, brutum, *significans*, non posse dici conceptus. namq; Resp. nec in tali subordinatione hominem & brutum *ut sic* & *quæ tales* considerari, sed ut in Conceptu Cognoscibilis, ac proinde erunt necessario conceptus, cum sine hoc, nulla res cognoscatur. (β) dicis. *Voces esse signa Conceptuum*, quemadmodum *Conceptus signa sunt rerum*; & si hoc, utique homo, brutum, non erunt conceptus, quippe qui horum solummodo signa. Respondeo enim hominem & brutum a me dici Conceptus, non in *suppositione materiali*, ubi pro se ipsis supponunt; nec in *formali personali*, ubi supponunt pro re singulari;

lari; sed in *formali simplici* & quatenus pro *re univērsali*, eāq: non quāvis & in quovis statu, sed ut jam *actū cognoscibili* accipiuntur. (2) *Quando Conceptui primo supervenit secundus.* Sic, cum concipio equum ut sic, species illa, quam in mente concipiendo efficio, est *Conceptus equi primus*, qui est *imago in mente immediate concepta, & in re fundata.* Concipiens autem equum ut speciem, aut prædicatum, habeo *Conceptum equi secundum*, qui etiam est *imago*, sed *mediate Conceptu primo concepta, & in eodem immediate fundata.* Hunc ergo, si conceptus primus est fundamentum secundi, secundus autem prærequirat & præsupponat primum, ex quo & super quem formetur, sequitur necessario unum ex alio produci *Conceptum*; ὅπερ ἔδει δειξαι. Et adhucdum ulterius probatur ex duplici *Conceptu fundamento*; quod, aut est *proximum & immediatum in re*, aut *proximum in Intellectu*, in re vero *remotum*: Si *immediatum in re*, oriuntur inde *Conceptus primi*; sin *remotum*, conceptus

ptus exsurgunt secundi, qui sunt consequens aliquid ex modo cognoscendi, ac propterea a quibusdam *Conceptus Consequenter* & *conceptus conceptuum* vocantur. (3) Cum ex *Conceptu quidditatis* progredimur ad *quidditativum*, ab *inadequato ad adequatum*, a non *ultimo ad ultimum*. v.g. cum concipio *risibilitatem* in homine, *Conceptum* hominis, *quidditatis*, *inadequatum* & non *ultimatum* habeo, quia hujusmodi *Conceptus* non *totam rei essentiam*, sed *quædam tantum prædicata representat*; Concipiens vero hominem prout est animal rationale, jam habeo *conceptum ejus quidditativum*, *ultimatum* & *adequatum*, quia *totam hominis essentiam & omnia prædicata essentialia usque ad ultimam differentiam sistit.* Verum quando quæstio est, ut jam, An de conceptu alio novus *Conceptus* formari queat? modi hi supra dicti controversiam non attingunt.

Obje. Si ex omni *Conceptu formali* sit alius, sequitur processum fieri in *infinitum*, cum hic alium, iste rursus alium produceret, & sic deinceps.

Resp

Respond. (1) quod hic formari unum Conceptum ex alio, sit idem, ac unum per alium repræsentari. (2) In formatione conceptuum, non semper dari *processum directum per ascensionem*, ubi processus in infinitum nec facile posset fieri; Sed *Circularem & reflexum*, scilicet descendendo rursus, a conceptu Summo, ad inferiores, specialiores & inadæquatos; v.c. postquam devotum fuerit ad conceptum quidditatis *Cognoscibilis* quod in *omni Entium genere summum*, possum ex hoc formare duos vel plures inadæquatos; atque sic vicissim reflecti Circulariter, non secus ac fieri solet in scala Musicâ, ubi cum per unum latus ascendendo, fuerit perventum ad supremum *ut*, per aliud latus vicissim descendimus, (per *notulas* tamen *specifice easdem*) donec absolvatur Circulus, unde rursus ascendere erit licitum. Atque hinc observandum; In hac *Conceptus habitudine*, quâ est vel *Ascendens*, vel *descendens*, habere suum fundamentum distinctionem

nem illam, quâ *Cognitio* in *distinctam & Confusam* dispelcitur. In *Conceptu* enim *ascendente*, cognoscimus res inferiores conceptus *Confusè* h. e. non inordinate sed *generaliter*; in *descendente* vero cognoscimus superiora *distinctè & specialiter*.

QUÆSTIO III.

An nomen Dei proprium & essentiale Jehovab sit vel debeat esse ἀνεκφώνητον? Neg. utr.

Triplex potissimum circa hoc quaesitum est doctorum sententia, *prima* negat ἄνεκφώνητον, s. hoc nomen *efferrî posse*, propter carentiam, ut ajunt, *propriorum punctorum*; *Secunda* negat ἄνεκφώνητον i. e. *asserit non debere secundum literas & ut sonat efferrî*: Cujus sententiæ patroni sunt Judæi recentiores, audacter prorsus affirmantes, partem in seculo futuro non habiturum, qui pronunciarit nomen hoc, prout sonat; *Tertia* e contra *affirmat utrumque & nomen Jehovab, quoad debere ac posse pronunciat esse ἐκφώνητον*. *Quam* sententiam, utpote orthodoxam, impræsentiarum

nostram facimus, argumentis roborando sequentibus. Et quidem primo rō posse, sic ratiocinantes: Nomen constans vocalibus & Consonantibus, non est naturā suā *ἄνευ ὀνόματος*. Sed *Jehovah* est tale nomen. E. Et quamvis labium Græcum literas, *Jod, be & van* ignoret, ac propterea nomen *Jehovah* pro *ἰερω* habeat, non tamen inde mox sequitur, id ipsum in aliis fieri linguis, quæ literas *Jē Jehovah* simul cum vocalibus agnoscunt. *Quod* autem *debeat* efferi, probatur (1) quia Deus ipse hoc nomen suum pronunciauit, & a piis pronunciari voluit, quod ex multis Exod. & Lev. locis constat, imprimis v. Exod. 9. v. 16. dicit se Deus fortitudinem suam ostendisse in eam finem ut *narraretur nomen suum* in omni terra. Unde, si Deus vult efferi nomen suum, utique id fieri debet, nam *voluntas Dei semper infert necessitatem debiti & juris*, quamvis non *facti*, nisi solum ea quæ *absoluta vocatur* (2) quia per *nomen Jehovah* Deus jurare jussit;

jussit, Deut. 6. v. 13. quod si hoc, utiq; quam maximē ubi decet pie efferendū, (3) *quia* sancti homines pio Zelo id fecerunt, imprimis regius Psal. qui in persona Christi Pl. 22. v. 20. & 23. nomen *Jehovah* fratribus suis se narraturum dicit. Ex quibus jam præsuppositis fundamentis, generale struo argumentum. Cuicunq; *potentia Physica Logica & Moralis* simul competunt; ei non repugnat esse in actu, sed nomini Jehovah omnes hæ potentia, in ordine ad actum enunciandi competunt, E. nil obest, quò minus actu enuncietur, Verum obijciunt hic contra *potentiam* quam dixi *Physicam*, etiam ex Christianis quidam: quod scilicet nomen *Jehovah*, quando cum *Adonai* conjungitur (*Adonai Jehovah*) mutuetur puncta *Jē Elohim*; Extra conjunctionem vero habeat puncta *Adonai*. *sed* Resp. *ad prius*, concedendo ibi esse puncta *Elohim*, id tamen fieri, non quia propriis careat punctis, sed quia mysterium aliquod significatur; *Ad posterius* negando, esse scilicet nihilominus pro-

propria puncta nominis *Jehovah*, ut ut etiam *Adonai* ea puncta habeat. *Potentiam Moralem* πὺξ καὶ λαξ impugnant recentiores Judæi. Verum Argumenta illorum vel petunt principium, dum scilicet textum citant corruptum, vel contra abusum & prophanationem hujus nominis sunt directæ. Antiquiores quod concernit Judæos, de illis ita differit Buxtorf. in Lex. ad vocem *Jehovah*: *Ob hanc causam* (quod nim. ipsam essentiam divinam magis intimius ræpræsentet, & admirando prorsus modo tria tempora, præsens, præteritum & futurum in se comprehendat) apud priscos hebræos, in majori reverentiâ, longeqve sanctius habitum fuit, quam reliqua Dei nomina, quæ partim ab effectis, partim ab attributis ejus petita sunt, & pio quodam Zelo ab eo pronuntiando abstinuerunt, ne quotidiano usu vilesceret, & in vanum fumeretur, hinc etiam καὶ ἐξοχήν, *nomen quatuor literarum, nomen magnum, nomen gloriosum, nomen appropriatum, separatum &c.* audit.

QVÆST.

QVÆST. IV.

An inter alias, causæ sint troporum, *necessitas, ornatus & perspicuitas*? Aff.

Cum singulæ lingvæ in multis careant propriis nominibus, *necessitas* sanè urfit homines invenire tropos: unde gemmare vites, fitire segetes, hominesque duros & asperos quâdam necessitate dicimus; Et quia *translata propriis sunt significantiora; ad vim & Emphasin Orationi conciliandam necessario adhibentur*: veluti cum incensi ira, inflammati cupiditate, lapsi errore dicimur. Deinde, cum *ornatus & decor* ad bene dicendum maxime requirantur, nec is solum ex figuris haberi potest sufficiens hinc ergò quemadmodum floribus amœni horti, aspicientium afficiunt gaudio corda; ita troporum flosculis conspersæ orationes, auditorum mulcent animos ac delectant mirificè. Quod vero *perspicuitatem* etiam orationi adferant tropi, vel salvator suo exemplo comprobatur, qui res difficilimas per Allegorias & similitudines

pr-o

proponere voluit. Illustrant certè res, ejusmodi sermonum picturæ, & sensus nostros non tantum afficiunt valdè ac tenent, sed etiam illuminant, unde quoque *Lumina Orationis* salutantur, quando scilicet sunt *rari & clari* non immodicè affectati, quippe qui oblectare, non exfaturare debèt auditoris animū. *dicis.* Christi discipulos Allegoriarum ejus non intellexisse, priusquam planis & propriis verbis easdem exponeret, quomodo ergo perspicuam reddant Orationem, si intellectioni ejusdem obsunt? Resp. dist. inter *perspicuitatem intrinsicam* quam tropi habent ratione rerum, & *Extrinsicam* quam ratione nostri intellectus habent. *Intrinsicam* illis semper est perspicuitas, quia illustrant res, & vim quandam probandi secum habent, quo ipso rei veritatem claram & perspicuam reddunt; *Extrinsicam* vero quamvis non semper habeant *actu*, habent tamen *potentiā*. breviter nota: tropos quidem quoad tenent esse inter homonyma, non tamen *casu* sed *Consilio* talia,

talia, & quando jam restricti sunt ad certam materiam, homonymias ejusmodi, perspicuitati nihil amplius obesse.

ADDITA.

1. *Omnis negans terminos, negat se loqui posse; & vituperans eosdem, vituperat proprium sermonem.* (ce versa.)
2. *In Specie plus est, quam in genere, & vici-*
3. *Accidentis esse est inesse.*
4. *Quaedam argumenta inevidentia sunt evidentiissima.* Ex hoc Aphorismo inter attributa Articulorum fidei in genere, recensent inevidentiam, si scilicet distingvatur, inter *evidentiam Veritatis & demonstrationis*, inter *insitam & assumtam*, s. aliunde mutuata.
5. *Affectiones Corporis naturalis, insunt eadem omni, soli semper & primè.*
6. *Elementa sunt in mundo pura, non tamen pura existunt.* (eclipses.)
7. *Non in quovis plenilunio lunares sunt ec-*
8. *Deus est causa immediata actionum causarum secundarum.* Quia nec solum antecedit aut comitatur, nec sequitur modò actio cooperans Dei actiones creaturarum. *Com-*

Conclusio & gratiarum Actio.

RYTHMO ἀμέτρος.

Nunc, *O benedicta Trias,*
Qui direxisti nostras vias,
Mentem atque informasti,
Correxisti, confirmasti;

Quique; linguam dissolvisti,
Loqui vera & fecisti,
Membra, vires conservasti,
Vegetasti roborasti;

Tibi, inquam, *Sacra Trias,*
Solvam grates, voces pias,
Pro his donis jam collatis
Mihî & paternè datis.

Fateor, *O summe Pater!*
Sum indignus ille crater,
Cui ut gutta gratiarum
Infundatur ulla harum.

Sordet mens & lingua aret,
Appetitus atque hæret

Circa

Circa malum; sensus surgunt
Contra te & tua pungunt.

Ut ut ita, summe parens,
Bono omni ego carens
Sim, & pravus, miser, vanus,
In peccando & infanus,
Tamen tu paternæ dona
Confers mihi totque; bona.

A me namque sum perversus,
A te probus atque tersus;
A me rudis & indoctus,
A te cuncta bona doctus;

A me truncus & ignarus,
A te vivens, mente clarus;
A me ferus atque demens,
A te mitis atque clemens;

A me fordens, ater, vastus,
A te placidus & castus;
A me fallax, mendax merus,
A te rectus, justus, verus;
A te cuncta vera bona
A te mentis meæ dona.

Tibi

Tibi ergo, *Sacra Trias,*
Canam hymnos, voces pias;
Solvam grates, celebrabo
Nomen tuum, te laudabo.

Sanctus, Sanctus Pater Deus!
Sanctus, Sanctus Jesus meus!
Sanctus, Sanctus Sacer flatus,
Charum mei cordis latus!
Sanctus, Sanctus Unitrinus!
Quo nil majus, omne minus.

